DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

ANAEMIA

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERT
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDE
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO, ETC.
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,
Domino Patrono ac Promotore suo omni honoris cultu prosequend
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS D
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,
HORIS LOCOQUE CONSUETIS
ANNO MDCCXXXII. D. OCTOBR.
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET
AUCTOR ET RESPONDENS

JOANNES CONRADUS DAUMIUS,
GORLICIO-LUSATUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

FLORENTISSIMÆ REIPUBLICÆ
GORLICENSIS
DOMINIS
CONSULIBUS,
PRÆTORI,
SYNDICO,
SCABINIS,

UNIVERSOQVE ORDINI SENATORIO;

VIRIS MAGNIFICIS, INLUSTRI, EXCELLENTISSIMIS, PRÆNOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

PATRONIS SUIS OMNI STUDIORUM GENERE MAXIMO COLENDIS OPERE

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM MEDICAM

DAT, DICAT, DEDICAT

AUCTOR ET RESPONDENS.

PATRES SENATORII ORDINIS GORLICENSIS CONSCRIPTI.

PATRONI OMNI, QVA PAR EST, MENTIS RELIGIONE DEVENERANDI!

Haut reor fore, cuiquam ut ſit mirum, cur VOBIS, PATRES CONSCRIPTI! *hanc de ſanguinis privatione commentationem, quam ære curavi exprimendam, ſacratam velim, quum, qui a Muſis, quæ aut ſacras literas colunt, aut leges Juſtitiæ tuentur, aut medendi artem callent, aut humanitatem pariter & Philoſophiam celebrant, haud unquam alienum præ ſe ferunt animum, probe ſciant, quanto amore, quanto cultu, quantoque ſumtu ad magis magisque in dies augendum rei literariæ ſplendorem, nullo non tempore ferantur. Quidquid enim uſquam Muſæ Literarum elegantiæ tradiderunt, quod oculis clarorum Virorum ſit dignum,* VOS *non ſolum, tanquam loti amœnitate capti, vehementer adfectatis, ſed*

etiam VOS VESTRA edecumata doctrina, qua polletis, & VESTRA in camenas mentis pietate, non paucis GORLICII natis, ſtimulos addere nulli dubitatis, ut in Muſarum liberalium celebritate verſentur, dulcique utantur earum conſuetudine. VOBIS quidem lex æterna multos concatenatos, qui REI VESTRÆ publicæ bene gerendæ a VOBIS dicantur, honores VESTRIS impoſuit humeris; tamen VOS perenne VESTRVM delicium in bonis literis, in iisdemque perpetuam capitis mentis voluptatem. Qua de re meas, quas de Sanguinis Defectu conſignavi literis, animi meditationes, ſerenis oculis VESTRIS ſubjicere, VESTRVMque ſingularem in camenas favorem experiri, nullus dubitavi. Quemadmodum enim abſens arborum ſuccus radices, cortices, alburnum, medullamque enecat, & quo minus vigeant, floreant, creſcant, efficit: eadem ratione ſanguis, noſtræ Vitæ Balſamus, & vitalis ſuccus, nobis omni ex corporis parte minutus, enerves reddit fibrillas, partes eſiccat ſolidas, tantamque, quanta eſt, noſtram miſere de-

ſtruit

ſtruit machinam. Quis eſt, quæſo, mortalium, qui ſine rerum gerendarum nervo, pecunia ſcilicet, vivere, & ſine ſanguine corporis membra movere, & ſine frigido bacchæarum uvarum ſucco, nempe vino, corpus & mentem in hac vita ſibi exhilarare velit? Quantum itaque in hac de ſanguinis penuria enodatione, præſtiterim, apud VOS erit judicium. Ego vero VOS, OPTUMI PATRES CONSCRIPTI! tamquam umbriferas cedros, inſtar hederæ, quam ambitioſam cecinit Lyricorum Vatum Princeps, ambire pie, VOSque ea, qua par eſt, animi ſanctimonia, ob benevolentiam VESTRAM in Minervæ filias, hac opella non poſſum non proſequi. Hæc enim hujus VOBIS devotæ lucubrationis, cujus in præſenti princeps ſum, poſſunt ſatis eſſe rationis, mihi vero nec unica fuit, nec inter multas palmaria. Quapropter ut publicum religionis mentis, qua VOS proſequor, exiſtat VOBIS monumentum, hanc de pauco ſanguine in homine quæſtionem, non potui, quin VOBIS ſacram eſſe ſatagam, mihique inſimul, ut ea, qua ſoletis, omnes literarum cultores amplecti,

huma-

humanitate & indulgentia eamdem adcipiatis, adceptamque in bonam interpretemini partem, expetam flagitem atque contendam. Ceterum Numen ter Optimum terque Maximum VOS omnes, PATRONI OPTIMI! salvos & ab omni morborum genere servet in seros annos inmunes, quo tota Res Gorlicensis publica in VOBIS illos, de quorum curis, laboribus, præsidiisque in sinu semper gaudeat, teneat, egoque in VOBIS grande meum Præsidium inveniam.

VIRI MAGNIFICI, INLUSTRIS, EXCELLENTISSIMI, PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI.

DOMINI PATRONI PIA RELLIGIOSISSIMAQVE PIETATE VENERANDI

VESTRORUM NOMINUM

Cultor perpetuus

JOANNES CONRADUS DAUMIUS.



PRÆFATIO.



Um alio triſtium furiarum genere mortalium exſangues torquentur, qui ſœpe numero lamentabundi clamitant: nobis ſanguis omnis evaſit; nobis vitæ liquor exſiccatus eſt; nobis carnes & oſſa ob ſanguinis bonitatis defectum pallent; nobis in noſtris mentis domiciliis, quæ ſunt humana corpora, ob ſanguinis penuriam prope fractis, languet animus; nobis tanta, quanta eſt, noſtra machina ob vitæ ſucci privationem, miſeram minatur ruinam? Non mirum cuiquam eſſe debet, cur tam multi tetro pallore, lento gradu, tetrico vultu, exſangui facie, enervibus membris,

cadaveroſo habitu, rigida ſiccaque cute, triſti animo, anheloſo ſpiritu, ante alios, qui roſeo colore, celeri greſſu, vivido vultu, ſuffuſa grata albedine, & virginali rubore effigie, firmis artubus, amabili habitu, molli cuticula, læto animo, liberoque ſpiritu conſpiciuntur, longe inſignes deprehendantur. Deeſt enim illis vitalis ille ſuccus, qui rigidas fibras mollit, partes motui ſacras inlinit, arteriarum venarumque mæandros curate permeat, motum cordis ſervat, totamque corporis noſtri compagem mirabili ſuo circulo ſartam tectamque ad diem usque ſupremum tuetur. Nemini tamen dubium erit, quin eadem omnia, quæ juſtos limites finesque excedunt, per abundantiam pariter ac per defectum haut mediocri detrimento nobis mortalium eſſe poſſint, quæ nempe nihil aliud agunt ſæpe, quam ut aut aliqua ex parte res depravent, aut depravatas plane deſtruant. Eadem indoles eſt noſtro purpureo vitæ liquori, qui, nimis abundans vaſa ſanguifera, & fibras omnes nimis dilatat, multasque nobis excitat tempeſtates, & nimis nobis defici-

deficiens vires partium frangere, iisdem pallorem inducere, nosque totos enecare valet. Qua de re in ſanguinis deficientis naturam inquirere volo, utrum etiam hujus rubicundi vitæ ſucci decrementum, noſtræ valetudinis genium offendere posſit, nec ne. Deprehendimus in ſanguine particulas, quæ natales ſuos aut oleo, aut ſali, aut terræ, aut ſero cuidam debent. Deprehendimus porro in ſanguine tam artificioſam harum particularum inter ſe forma, magnitudine ſituque difformium concatenationem. Deprehendimus tandem varias circumſtantias, quæ hanc humanam ſanguinearum particularum discordium conſpirationem prodigialiter, ut ita cum FLACCO conſulto canam, variare valent. Porro itaque liquorem omnem, qui noſtræ humanæ naturæ ſervandæ opitulari debet, qualitate & quantitate deficientem, rebus omnibus, quæ illo habent opus, nocere poſſe. Subſumo ſanguinis, qui per ſuam indolem noſtra vaſa tranſire, fibras conroborare, motum cordis tueri, per varias res externas pari-

ter ac internas excitari poſſe privationem. Ergo non mendoſe conligo, ſanguinis defectum noſtris corporibus omni ex parte eſſe inimicum; conligo multis rationibus noſtra valetudine obicem ponere; conligo non curioſorum tantum oculorum acie, in contemplanda hujus liquoris penuria, ſed mentis etiam acie in hujus morbi curatione nonnunquam opus eſſe. Candidum lectorem mihi exopto, polliceorque mihi meditationum mearum, quas cum placidis eruditis quibusdam communicaturus ſum, bonum, humanitatis integrum, acriumque ſalium, quibus ut fit, multorum doctorum ſcripta, tamquam ſeramo & papavere hodiernæ urbanitatis conſperguntur, purum interpretem.

CAP. I.

DE PRINCIPIIS.

§. I.

SI quis mortalium arborem ambitioſiſſimam quamdam perluſtraturus, ubi plures ſunt rami, plures fructus, plura folia; ſine curatiori mentis contemplatione corpus e vegetabilium quod-

quoddam limitibus esse dicat, nec ulterius, cur ita crescat, & non aliter radices agat, eamdem considerare velit, parum emolumenti ex hujus creaturæ adspectu sibi capturum, nullus dubito. Tantum non humanum corpus ab quadam arbore parum est absimile: sunt sanguifera vasa ramorum speciem præ se ferentia; sunt mirabiles effectus, tamquam totidem arboris fructus, corporis compagem continentes & servantes; sunt tot tamque utiles & inutiles pori, papillæ, fibrillæ, particulæque mirandam foliorum varietatem nobis repræsentantes; immo multa alia extant, quæ in variis tubulis, vasculis, stratis, lamellis, membranis aliisque minimis æque ac stupendis rebus communis rerum arbitri fidelisque hujus ministræ naturæ nunquam frustraneas operas testantur. Omnes enim res in hac tot miraculorum universitate creatæ sunt sufficientium causarum, nostrum intellectum sæpenumero latentium rerumque inter se connexarum tantæ concatenationes, ut in iisdem solvendis, enodandis, extricandis sæpe adquiescere necesse habeamus. Nemo miretur, me mirari venas arteriarum crassitie, arterias vero venarum capacitate posse vinci; hujus rei duplex est ratio: tum quod arteriæ crassa circumferentia resistere queant validæ sanguinis e corde propulsioni; tum quod venæ sua tenuitate sanguinis circulum promovere teneantur. Arteria vero est canalis ex quintuplici membrana constructus, originem a corde trahens atque sanguinem cum impetu ad reliquas humani corporis partes deferens. Vena

eſt ex quatuor membranis conſtans, canalis valvulis intus præditus, ab extremitatibus arteriarum ortum ducens ſanguinisque globulos ex humanæ machinæ compage ad cor commune venarum aſylum referens. Quæ duo ſanguinem vehentia vaſa ſunt ita comparata, ut purpureum liquorem per totum noſtri corporis ambitum transferre poſſint. Quemadmodum vero cuticula noſtra in manuum volis pedumque plantis a labore, preſſione, trituque redditur ſenſim paulatimque craſſior: ita perpetuo ſanguinis impetu ejusdemque globulorum diviſione arteriarum craſſities obtinetur.

§. II.

Quod vero vaſa rubicundum humorem continentia ita confieri poſſint, teſtatur canalium horum mirifica ſtructura. Quintuplex earumdem tunica, quæ teſte RVYSCHIO * pariter ac WILLISIO ** e nervo, cellula, glandula, muſculo, membranaque conſtat, reticularium, dilatabilium, tortarum, ſcriblitæ ſpeciem referentium, annularium, contractiliumque fibrarum tractu miniſterioque conos æmulantes, ramoſosque canales facile effingere poteſt. Ab externa arteriarum parte, quamdam conſpicimus membranam, quam vaſculoſam adpellitant Anatomici. Ex quadam arteriarum, venularum, nervorumque compage conſtat illa vaſculis plena tunica. Quam ſequitur ex exiguis albicantibus glandulis quædam compoſita membrana. Cui adce-

* RVYSCHIUS in epiſt. reſp. XII, 14.
** WILLISIUS in Pharm. rat.

adcedit muſcularis tunica e ſpiralibus fibris conſtans, quam alii, licet temere, tendineam nominare non erubeſcunt. Porro huic adjacet cellulis referta tunica. Quas quatuor denique claudit ea membrana, quæ deprehenditur e fibris longitudinalibus conſtructa. Arterias figura, mæandratis ſtratis, ſituque imitantur venæ. Attamen arteriis venæ amplitudine, numero, valvulis, tenuitate palmam præripiunt. Micant arteriæ, ſed nunquam venæ. Inſolenter emiremur horum vaſorum ſtructuram! Quem in finem hæc vaſa egregiis ornavit nominibus gratioſa Medicorum antiquitas. Vocat arterias arculas arterioſique ſanguinis micantia receptacula HIPPOCRATES. * ARISTOTELES dicit easdem aëris ductus. Gens ARABUM vocat easdem pulſatiles nervos. Audaces venas nuncupat easdem AVICENNA. Spirituum ſemitas easdem citat cum naturæ illo interprete PLINIO recentioris ævi GALLIÆque decus LAURENTIUS. **

§. III.

Verum enim vero id duplex ſanguine turgeſcentium vaſorum genus ita ſe debet habere, ut nec tunicæ, nec latitantes in iisdem membranis ſanguinei globuli nobis detrimento poſſint eſſe. Quod ſi enim læſæ fuerint tunicæ; tunc temporis ſanguinis circulus non ita commode perfici poteſt, ut irrigare poſſit rite ſolidas humani corporis partes, pulſatilis ſanguinis facultas dilatet quidem hæc vaſa, ſed eadem

* HIPPOCRATES in libello de alimento.
** LAURENTIUS in op. Anat. 261.

dem impletione juxta multorum mentem non complet, ſed obſervante acuti ingenii Medico de MOOR * quia dilatantur, rutili liquoris preſſione complet. Hinc pertinet ad horum vaſorum perfectionem, validum tunicarum robur, ſincerus ſitus & genuina ſanguinis particularum indoles. Quibus rebus rite ſtantibus arteria cum impetu ſanguinem e corde ad partes, vena vero ſine pulſu e partibus in ſanguinis receptaculum cor ſcilicet valet perferre.

§. IV.

Nemini poteſt eſſe dubium, qûin adſumtus cibus mutetur in chyli materiem; chylus varias e cibis particulas ſecum ducat, & quasdam commotas vique perenni mobiles, ut ſolidæ, læves, rotundæ ſunt; quasdam tardas, parva vi non vehementer mobiles ut poroſæ, anguloſæ ſcabræ, viſcidæ audiunt, in ſe contineat particulas ſic fictas, ut ad hydraulices, hydroſtatices, Mechanicesque leges gaudere motu ſuo poſſint & ante noſtros oculos talem, qualis ſanguis noſter eſt, liquorem conficere. Priores enim continentes in ſe futuri ſanguinis ſtamina particulæ magna vi æque ac perenni recta via corde effugiunt; poſteriores vero obliquo tramite vel plane retro in vaſis pererrant. Hinc conligi poteſt, qua ratione ex ejusdem farinæ particulis talis confieri poteſt latex, quem, tamdiu vivit homo, calidum igneumque cum MARONE ** vocaverim.

§. V.

* BARTHOLOMÆUS DE MOOR in Cogitat. de inſtaurat. med.

** VIRGILIUS Aen. L. VI. v. 218.

§. V.

Proinde humanus rubicundusque liquor nihil aliud quam minorum ſaltim globulorum congeries, ſed ita comparata poteſt eſſe, ut ex BOERHAVENII mente induat pellucidi ſeri indolem. Hinc ex ante dictis ſanguinis materies, moles, ſphærica figura, roſeusque color ſatis liquet. Sanguis enim juxta BERGERUM * omnium humorum fons audit. Ex amaris, dulcibus, acidis, acerbis, fluidis infinitisque ut dicitur aliis particulis tradente HIPPOCRATE, exoritur illa ſanguinis noſtri maſſa in arteriarum venarumque tubis incluſa, & conluctantium numero carentium minimorum inæqualiumque globulorum huc & illuc & in omnes plagas, gyros, turbines, vortices ſe ultro citroque agitantium globulorum mira congeries. Hinc tribus verbis ut ajunt veteres, quid ſit ſanguis, dicam. Sanguis eſt ſulphurei principii miniſterio factus ruber chyli latex.

§. VI.

Quo in liquore primum nulla e corde exhalatio, ſed, dum operatur ſanguinis, deprehenditur expreſſio. Probat id cera arteriis infuſa, quam in venoſis propaginibus arteriis infarctis cum MALPIGHIO ** obſervavit HARDERUS. Humanus latex egreditur nunquam vaſorum limites. Non provocandum eſt, ut nonnulli ſibi ſuaviter imaginantur ad quasdam glandulas, ubi ex illorum opinione ſanguis debet ſecerni. Nonne ſunt glandulæ,

 quas

* BERGERUS de natura humana p. 10. 11.

** MALPIGHIUS Diſſ. Anat. Pract. de Viſcer. §. 32.

quas definire periculosam aleam jacere quidam putant esse arteriolarum venularumque conglobationes sive conglomerationes? Cur sanguis hos tubulos minimos secretionis ergo mittere debet? Sanguinem porro sanguificationis officinam requirere, nullus dubitaverim. Chylus veteri sanguini admixtus per numero carentes, implicatas reticularesque angustias digeritur viscerum ministerio. Rubrum colorem adcipit a Sulphure. Id enim ex lactis bilisque commixtione & concussione, probante RIDIGERO,* patet. Sanguinis officina nec in solo corde, quod HARVEJO, GLISSONIOque adrisit, nec GALENI hepati sed in omnibus iis visceribus, perhibente MALPIGHIO,** vt & PRÆSIDE,*** ubi locum obtinet pressio, pariter atque conquassatio, debet indagari. Vivi sanguinis globuli, qui extra vasa vagantes. Albuminis ovi lentam figuram demonstrant, in progressu interne se moventes in una hora circulum justo sæpius absolvunt. De loco sanguinis officinæ inter se dissentientes nimisque suaviter & non raro jejune, ut fit, philosophantes in dulce silentium convincant HIPPOCRATES, orator & Philosophus PLATO magni ALEXANDRI doctor ARISTOTELES, HOFFMANNUS aliique. Propter vehementiorem autem motum, qui in venis est, aliqua ex parte segnior, sanguis saturatiori rubedine tenuior

* RIDIGERUS in divina Physica Lib. III. c. XVI. sect. II. p. 766.

** MALPIGHIUS diss. in operibus Anatomicis p. 32.

*** in Physiolog. c. 7. §. 98.

ior splendidiorque in arteriis detentus quam in venis solet esse.

§. VII.

Nos semper observamus tanto robustiores, vividiores, vivaciores esse mortales, quanto calidiore & relative copiosiore sanguine pollent. Hinc bonum sanguinem ad hominum sanitatem pertinere non mendose conligimus. Vegetus enim caloris ope sanguis & boni succi cibis sustentatus quotidie solidorum fluidorumque in humano corpore temperiem ita seruat, erigit ac roborat, ut sanitatis, quæ competit nobis, signa præ nobis ferre queamus. Nullum animal sine calore vivere ac crescere potest. Id testantur hirundines, alpini mures, insecta, temperatis exclusi furnis gallinacei pulli.

§. VIII.

Quod sanguis non raro in multis abundet hominibus, testantur tumentes florido sanguine facies venis turgentes, rubentia corporis membra, suppressæ voces, spiritus difficultates, nervorum resolutiones, nervorum rigores, nervorum distensiones, malus corporis habitus, omnesque, quos acutos vocant artis Apollineæ haud expertes, morbi, non sanguinis infirmitate, sed onere sæpe numero noxii. Quæ copia in nostro corpore & latice fit, necesse est, si vel omnes sanguinis humores massam constituentes, æquitate & proportione, quæ naturaliter sanguini debebat inesse; solus sanguis abundat; vel si unus aut duo ex reliquis succis ita augentur, ut purior, temperatiorque sanguinis massa capiat suum

in dies incrementum. Cui sanguinis copiosi imbecillitati viam sternunt, victus plenus, boni succi alimenta, efficiuntque eumdem porro corporis habitum per viscerum, hepatis, cordisque constitutionem ætas, temperatum tempus, cumulant tandem hanc infirmitatem otium, somnus, tranquilla & læta vita & omissæ sanguinis evacuationes, quibus tamen ante fuit litatum.

§. IX.

De quadam huic causæ morbosæ contraria infirmitate in præsenti gratiosi ordinis venia & pace sum acturus. Mihi necesse est, ut ex GALENI, * SCALIGERI, ** CARTESII, *** recentiorum meritis & scriptis insignium Philosophorum mente a definitione tractandæ rei capiam initium. ANAEMIAN per saturam lancem, ut ajunt majores, exhibere mihi placet. Cujus vocis originem ex græco vocabulo αἷμα sanguinem significante & ab α. prima græcorum Alphabeti litera privationem notante deducere necesse habeo. Verba juxta *Epicurum* non tantum res nobis adumbrant, sed insimul etiam mortalium animorum, motus. PETRONIANUS enim TRIMALCIO longe aliis utitur verbis, quam ad rem attentus nempe ille apud TERENTIUM CHREMES & apud SENECAM furens ille HERCULES. Qui itaque supra vulgus sapere didicerunt, in meditando gravitatem, in sermone pondus, inque

* GALENUS I. M. M. c. 5.

** SCALIGER ex R. I.

*** CARTESIUS princ. p. 1.

inque verbis vero cautionem modumque obſervare ſemper debent. Latitantem ſub hoc græco verbo rem ipſam perluſtro. De illa corporis infirmitate dicam, qua ſanguis illum colorem, quem ſanum vocat elegantiarum nequitiarumque arbiter PETRONIUS, miſere amiſit, nempe de ANAEMIA ſanguinis boni penuria. Qui ſanguinis defectus deprehenditur, ſi franguntur vires, ſi minuuntur ſpiritus, ſi deſtruuntur actiones, ſi aquoſæ ſanguinis particulæ & terreæ & ſalinæ depravatæ cruda, aquoſa, pallida, frigida cumulant; ſi ſolida, levia, rotunda deficiunt; ſi anguloſa, ſcabra, viſcida abundant; ſi nudis oculis malus conſpicitur ſanguis; ſi marcet animus, ſi torquet corpus, ſi ſanguis ad Medicorum ut & CICERONIS, CELSIque judicium nimium tenuis aut craſſus; ſi colore lividus vel niger, aut pituita miſtus, aut varius deprehenditur. Qui medice enim, hoc eſt optume vivere didicerunt, obtinuerunt conſtantem bonum calore, rubore & modica craſſitie ſanguinem. Optumum quidem & perfecte ſanum, ſanguinem in corpore vel in ſaniſſimo numquam dari, jam ſana ratio æque ac experientia confirmant. Siquidem poſt primorum parentum lapſum jam enervandi ſanguinem negligenti MURCIÆ humanum laticem exſpiſſandi; jam intempeſtivæ ERIDI purpureum liquorem necanti ſæpius juſto mortales indulgent. Quæ pauca per tranſennam in præſenti perſpecta, non ſola eſſe dixerim; ſed ſi centum, ſi ſexcentas, ſi innumerabiles depravandi occaſiones ſanguinem eſſe dixero, minus me veritatis limites exceſſurum eſſe arbitror.

§. X.

In sequiori sexu deprehenditur, observante ORIBASIO, * frequentior sanguinis penuria, quoniam deprehenduntur viris naturaliter humidiores; hinc sanguinis defectum largius in genis, quam viri, ostendunt; hinc sæpius æquo per Cinnabarin genas sibi fingunt purpurisatas; hinc noctis unius tactu omnia vendentes levis notæ puellæ, quas secutulejas adpellitat PETRONIUS, ** adfectant per varias artes fœmineasque fraudes sanum colorem. Fœminæ sanguine multo cum sero, quod Medici junioris ætatis lympham vocant modestius, pollent. Hinc Gallicæ Veneres pallent ob sanguinis bonitatis defectum. Quam albedinem qua, tamquam reliquis avibus candidiores cygni, ceteris Europæ puellis omne punctum ferre cupiunt, iterata sæpius justo sanguinem mittendi consuetudine, nimia exspiratione; cujus princeps inventor est SANCTORIUS, *** sanguinis ob nimium Gallici cœli excretione & rerum, quas non naturales vocant; pravo usu sibi conciliant. Gypsatissimas manus, candidulos dentes, incretatas facies similes Pario marmori mammas, candicantes parco rubore genas, ament & adfectent, licet, tot tantæque Gallicæ morum venustate suaves puellæ.

§. XI.

Hinc satis patet, cur ii, qui literis impallescere solent,

* ORIBASIUS in notis ad Hippocrat. II. Aph. 3.
** PETRONIUS in Satyrico p. 44. m.
*** SANCTORIUS in Statica Medicina.

ſolent, palleant. Eruditi enim in literas ſæpe ita incumbunt, ut decentius corporis animique motuum, ciborum potionumque vivant immemores. Hinc nimium diſſipantur ſpiritus; hinc circulum ſuum non rite ſervat ſanguis; hinc ex rubicundi liquoris lentore non tantum fit ad vaſa, ſed ad vires etiam inſignis per totum corporis habitum penuria. Carthuſianos, ordinis ergo, celebres etiam talis pallor, ob denegatum boni ſucci ciborum, delicatiorum carnium lactisque mellis uſum inveſtit ita, ut cadaveroſos potius, & vermibus ſcatentes, aut phlegmate oppreſſos quam vivos homines, repræſentent. Qualis enim cibus, talis exinde provenit chylus; & qualis chylus talis ſanguis. Quod ſi vero hæc pravæ indolis ſint, qua ratione liquor poteſt evadere bonus?

§. XII.

Cur Melancholici aliquando reliquis palleant, poteſt facile exinde percipi. Siue melancholicorum ſolida conſideremus; ſive eorundem fluida perſpiciamus: ſive tardos eorumdem mores expendamus; craſſitudinem, lentorem torporemque iisdem familiarem deprehendimus. Hinc vaſa evadunt præcraſſa & nunquam pellucida; hinc exoriuntur lenti humores; hinc cutis, MALPIGHII * reticulum, & cuticula craſſeſcunt ſic, ut difficulter adpareat ex iisdem ſanguis. Proinde ingenii felicitate deſtituti, judicii acuminum expertes, minutiſſimaſque ſordes ſæpe lucrantium rerum probe & ad inſaniam memores liberalium Muſarum conſuetudine, tamquam

* MALPIGHIUS in obſerv. Anatom.

quam elegante NISA, fastus Mopsus, crassusque Livianus CACUS, uti solent. Hæc Bœotica ingenia; hæ eretinæ hominum mentes; hique ad pistrina, quo far pinsent, fabasque sic coquant, ne in eorum capitibus ex Romanæ antiquitatis more fabas easdem cudere, habeamus necesse, & non ad sacra camenarum frequentanda tamquam ARCADES atque PHRYGES a me jure meritoque ablegantur.

§. XIII.

Imprimis autem ii, qui ob quasdam infirmitates animi deliquia pati coguntur, notabili investiuntur albedine. Incipiunt enim vires fatiscere; rubicundus color se mutat in pallidum, arteriarumque pulsus recedit mirum in modum a natura sua. Sic labascens sanguinis sæpe palloris causa esse potest. Largiorem sanguinis evacuationem colentes hæc etiam fata non raro experiuntur. Quam infirmitatem sanguinisque tenuitatem sentiunt ad purpurei humoris missionem justo sæpius proni ITALI pariter atque HISPANI. GALENUM * proinde hac in re æmulari velle videntur mihi jam memorati, qui cujusdam Romani œconomo se tres sanguinis libras una vice horisque haut multis interjectis se adhuc unam detraxisse testatur. Quam vehementer errent ii, qui curationis limites, vel ex eo concipi potest, quia hac ipsa evacuatione mittitur per incisas venas non mediocris sanguinis massa, quæ tamen ad prolongandam vitam quam maxime conducit. Non sum quidem ex illorum numero, qui

* GALENUS in lib. de cur. per sang. mis. c. 17.

qui Medicos incidendarum venarum consilium capientes tamquam egregiæ ignorantiæ fratres, efferatæ immanitatis homicidas & fallaces sicarios æstimant. Verum si hac tantum ratione in nimiam, temerariam, intempestivamque sanguinis effusionem debaccharentur, bilemque commoverent, essent ferendæ, momorum nostrorum insulsæ facetiæ, querelæ, non nunquam irarum furiæ. GASSENDUM * tamen sequantur medici, fas est, qui sæpe monet de mittendo sanguine salutaris artis filios, ne hoc vitali latice nimis prodigaliter per sectas venas profuso tam morbum, quam ægrotum, misere invadant, crucient, enecent. Amentibus obstetricibus, quæ antequam recens natis infantibus claudant umbilicum ad evacuandam hac via sanguinis copiam, ridicule æque ac superstitiose, tamquam ad sacram ancoram, convolant, pollicem non possum conprimere. Liquoris enim hujus emissi non est dubia ratio, qua re post modum tam pallidi, tam debiles, tam enerves sint infantes.

§. XIV.

Si mares, qui corporis motibus destituti vivere tenentur, ob impeditum sanguinis circuitum palleant, necesse est, ut imbelles sequioris sexus personæ, quæ sibi acu panem lucrandum in se suscipiunt, ad pallidæ mortis invidiam palleant, contabescant, ægrotent. Interim tamen corporis motus ut in dolore, juxta CELSUM, ** pestifer; sic alias corpori salu-

* GASSENDUS in suis operibus.

** CELSUS in Medicina lib. VIII. c. 2.

saluberrimus est. * Ad sanitatis præsidia spectat inprimis moderata membrorum agitatio, quæ purpureos sanguinis nostri rivos tardius paulatim redditos adcelerando valet tueri valetudinem. Seligendæ sunt quidem humanæ compagis commotiones, temperamentorumque diversitates nec a præcipitibus, nec judicii sui prodigis medicis debent considerari. Mortalium nonnulli vehementioribus corporum motibus, ut fit, oblectantur. Quidnam athlethicam denotet valetudinem & athletice valere quid sit, ex ingeniosissimo MERCURIALE ** possumus adcipere. Conluctatores Olympios pulveres in arena conligentes continuo motui, cursui, multoque cibo adceptam tulerunt suam sanitatem. Interim ejusdem generis motus teneris puellis non sumus auctores & suasores, verbi caussa, citati cursus, vehementis saltationis, continuæ æquitationis, similiumve aliorum corporis agitationum excessuum non commodo tempore, loco inhabitabili, pestifero cœlo, humanis machinis detrimentosorum neutiquam sumus impulsores. Se leniorem in modum, si scilicet id sequiori placet sexui, commovere possunt in plano ambulando, temperata vocis cum in loquendo, tum in canendo, contentione, pilæ lusu, vectura aliisque ejusdem generis corporis agitationibus. Inprimis cum ASCLEPIADE apud CELSUM *** frictionis, gestationis in navi, lecticæ, pendulo fune usum

* vid. D. D. PRÆSIDIS disp. de Longævitate ex motu corporis.

** MERCURIALIS in Medicina Gymnastic. lib. I. 15.

*** CELSUS Lib. II. c. 14.

usum de meliori commendamus nota. Repugnant his salutaribus Medicorum monitis omnes sedentarii artifices, quorum morborum Iliada depinxit eleganter RAMAZZINUS.* Verum enim vero non paucorum mortalium res sic est comparata, quibus vel vitæ genus, vel ratio, vel sors objicit, ut tacite & suaviter & confidenter voluntaria cæde quadam quasique propria manu facta seipsos de vivorum medio tollant. Nonne plerumque fit, ut multi sedendo, acum usurpando, scribendo, se de loco in locum commovendo, meditando, incurvato corpore operando sibimet ipsis sensim paulatimque morbos concilient & tandem mortem ipsam conferant? Illi quidem sedeant & laborent & parce se concitent, quibus minus sana mens est, quibus validum, & pingue tardumque abdomine corpus est, quibus ingenium quovis pharmacopæi pistillo obtusius est, quibus ad invidiam triplicis ANTICYRÆ peringeniosi FLACCI ** insanabilis multo opus est helleboro.

§. XV.

Ex febre quadam laborantes investiri pallore extra omnem dubitationis aleam positum esse, arbitror. Depravatur enim per continuum corporis languorem, ob turbatum circulum, ob nimium cum frigore calorem mixtum humanus liquor, ut non possit, quin ab extremis corporis partibus ad centrum fuga sibi consulat. Hinc totum, quantum est, corpus albedine coloratur & quidem ita, ut cum lurida

* RAMAZZINUS Bern. in cap. 33. p. 256.
** FLACCUS Arte Poetic. vers. 300.

morte commercium quoddam instituisse videantur. Cui opinioni punctum suum addere mihi videtur ERASISTRATUS, * qui febrem sanguinis in arterias transfusionem adpellitat. Ut taceam SENECAM ** febrium innumerabilia genera statuentem & GALENUM centum & duodecim oculorum morbos adlegantem. Quam infinitam morborum multitudinem cum HIPPIÆ moechis, cum ægris THEMISONIS, quem contra Satyricum defendit BARTHOLOMÆUS de MOOR *** lectione dignissimus; impune, ut ex PLINII JUNIORIS **** auctoritate, si Diis placet, Medici hanc imaginariæ crudelitatis famam ita adcipiunt, occisis, cum BASILI sociis cumque circumscriptis HIRRI pupillis nimis salse comparat JUVENALIS *****.

§. XVI.

Rubent irati. Sanguis enim, in quibus æstuat iracundia, extremas corporis partes forti impulsu ingreditur, inprimis in iis, qui saturatiori pollent sanguine, quique iratum animum in imis medullis infixum diu satis pectore secum solent ferre. Inter indignationem & iram acute quidem distinguit CARTESIUS ******. Illam fieri sibi aliisque persuadet, cum malum ab aliis patratum non ad nos defertur; hanc existere contendit, cum mala ad nos de-

* ERASISTRATUS apud Celsum in Præfatione.

** SENECA libro de Tranquillitate animæ.

*** BARTHOL. de MOOR p. 195.

**** PLINIUS Lib. xxix. cap. 1.

***** JUVENAL. Satyr. x. p. 218.

****** CARTESIUS de anim. p. 11. p. 30.

deferuntur. Sed audiamus rationes, quæ ex multis in iratis obſervatis vobis cum communicaturus ſum, ex quibus aliquando etiam ſub ira cum metu conjuncta pallorem oriri poſſe, non mendoſe conligimus. Motum enim ſanguinis nimis abunde teſtantur violenti animi adfectus & per aliquod temporis intervallum commorantes. Tenerrima nervorum enim ſtructura, muſculorum ſtratum mirabili efficaciſſimaque ratione quadam mutatur, figitur, depravatur. Facillimo cum negotio morborum Ilias in noſtræ machinæ humanæ regionibus producitur, alitur, fovetur. Porro iratis celeriorem oculi ictu mutationem in arterias, nervos graſſantem, labeſcentia genua, denegatum adpetitum, ſtantes comas, hærentes voces, ſpumantem ſalivam, celeriores ſudores aliaque ex turbationibus ejecta excrementa adſcribit HELMONTIUS. * Quæ ſi conſidero, iram talem ſimul meticuloſam ad pallorem, morbosque ad ſanguinis aliquando defectum ſpectantes poſſe deduci, nullus dubitaverim. Deficiente ſtomachi viſcerumque legitimo officio, quæ chylum præparare debent, adfectis, depravatus ſanguis oritur, ex quo pallores, tremores, ſiccitatesque facile intelliguntur. Quod vero non omnes iracundi, amari, acerbi, ſtomachoſi, rabioſi, clamoſi, difficiles, aſperi, moroſique, quos cum iracundiſſimis ac pro corporis captu pugnaciſſimis apibus convenire, ſatis ingenioſe arbitratur SENECA **, non ſemper triſti pallore inſigniantur, ſed inſimul etiam pro diverſa ſolido-

 rum

* HELMONTIUS. in S. 1.
** SENECA. Lib. de clem. X.

rum fluidorumque mixtione non raro rubeant, ex iis, quæ persequar, patescet.

§. XVII.

Irati cur sæpe rubeant, miraberis lector, & licet mireris, cum homines ira commoti pallorem induant æque ac ruborem. Qui calido fervent temperamento, qui vasis robustis gaudent atque contractis, qui viscerum validorum robore, perenni humorum motu notabili, densitate, & acretudine turgent, nobis minantur oculorum flammas, oris ruborem, sanguinis æstum, labiorum quassationem, dentium compressionem, capillorum horrorem, maxillarum stridorem, vehementem membrorum sonitum, sermonum titubationem, manuum complosionem, humum pulsantum pedum fragorem, corporis agitationem, animi minas, faciei lurorem, tumorem, talemque furorem, qualem furentibus inesse dixit SENECA *. Juxta SENNERTUM egregia & irascibilis, si credere fas est, vis cordi est, quæ in iracundis vasa dilatat, & rarefacto sanguine replet ita, ut deinceps rubedo tanta, quanta est, omnes corporis regiones coloret. Rubemus autem aliter, quando commovemur ira, aliter, cum nos verecundia virginali rubore insignire solet. Ast audiamus humanæ naturæ interpretem BERGERUM, ** Non cor enim sed cerebrum animi motuum sedem esse adfirmat. Quia vero pendulæ & maxime mobilis machinæ cordis pulsatio, ac varia san-

* SENECA de Ira c. 1.
** BERGERUS de humana natura cap. XXX.

ſanguinis preſſio ab inluſtri de MOOR inluſtrata inſigniter in metu pallorem, in pudore rubedinem, in ira vehementiorem ruborem, oculorumque ardorem per vultum, per os, per genas, per frontem, per lineamenta, per reſpirationem, per vocem, per artus, perque totum corpus prodit, adjuvat, alit, olim data eſt huic errori occaſio, quo cor mentis commotionum ſedes & officina a veneranda medicorum antiquitate ſuperſtitioſe venditabatur. Varia enim objecta, varii adfecti nervi, varie fabricati ſenſus, varia cerebri loca, varii motus jucundi, injucundique ideam, quam ſub amoris odiiq; imagine repræſentamus, conciliare nobis poſſunt. Sicut enim ſanguinis mixtio & motio in nobis variat ſuccique nervoſi indoles; ita ad hanc, vel illam mentis agitationem ſumus proni & nos laetos nunc, modo triſtes eſſe ſentimus. Quem duplicem in nobis motum ſanguinis, animi, ſuccique nervoſi copioſe & ſubtiliter ſatis diſpeſcit in varios adfectus CARTESIUS *. Adcedit, quod irati ita ſint comparati, ut ipſa mentis conditio, cum ex amore, tum ex odio excitet muſcularem ejusdem generis motum, cujus miniſterio objectum cum corpore cogitationeque uniri queat. Hinc intelligimus, qua ratione quibusdam individuis hæc illave res, quæ aliis dulcedinis non parum, vel minus detrimenti promittit, in odio ſit Vatiniano, ut eamdem neque oculorum acie, nec aurium adceptione, nec linguæ, nec odoris, nec tactus ſenſu percipere poſſint, quin corporis & animi horrorem & perturbationem oſten-

dant,

* CARTESIUS Lib. de Paſſ. anim.

dant, ut non raro in mentis incidere cogantur deliquia. Nonne multis, nescio, quodnam malum minitantur butyrum, caseus, rosa, gladius evaginatus, sanguis, felis, mus, aliaque? Nonnulli nimis suaviter incomprehensibiliterque de atomis, simplicibus monadibusque philosophantur, ut, cum tot tantaque miracula ex nihilo esse debeant, aliquid in cerebro febricitante fuisse horumque mirorum effectuum causæ videantur. Hæc & corporis meatuum habitudo a quibusdam in notis ejusdem carminis solvendis tamquam Alexandri multipotens gladius, adhibentur & defenduntur.

CAP. II.

DE ANAEMIÆ CAUSIS.

§. XVIII.

SI quidam homines pallescant, oportet ut horum causas eruamus. Quomodo quæso nonnulli rubere possunt, nisi sano sint sanguine, qui nec qualitate, nec quantitate ullo tempore limites suos excedat? Quomodo sanguis boni indolis esse potest, nisi vasa & in hæc fluens humanus latex amice inter se conspirent? Quid? quod liquoris purpurei natura vel omni vel ex aliqua parte ab gratiosæ artis ministris possit corrigi emendarique? Quomodo explebit sano vasa sanguine extremasque corporis plagas medicus, nisi liquoris robur atque facultatem ita dirigere potuerit,

rit, ut motus vehementior in ſanguine exortus per inventas a STENONE glandulas miliares ſic dictas perque papillas nervorum pyramidales e MALPIGHII * corporis reticularis foraminibus protuberantes inque cutis ſuperficiem ad cuticulam ſpectantes prorumpere queat? Ex quibus quaſi fontibus exſilit omnis corpore humano humor, non eſt hujus loci univerſæ cutis multiplicia effluvia a WILLISIO ** detecta, BOYLEANISque experimentis inluſtrata ante lectoris oculos deferre. Nec perſequar cutis pororum dilatationem, ut ex iisdem interdum ſebaceæ pituitæ copia, ſanguis, calx, podagrica materia, arenula, ſerum, piſum aut hordei granum aut tantum non ſi fides obſervationi tribuenda minimi digiti extremitas elabi queat ab oculatiſſimo LINDENIO *** obſervata.

§. XIX.

Satis notum perſpectumque eſſe arbitror, quænam Sanctorianæ perſpirationis materia, ratio, effectus, neceſſitas & utilitas ſit. Vaſculorum ex epidermidis ſquamulis oblique pateſcentium, ſubtilitatis detectæ gloriam uni debemus grate LEEWENHOEKIO: Exhalationes perficiuntur rite, ſi humores ſubtiliſſimi ex omnibus corporis exhalent; ſi æquabiliter emittunt effluvia; ſi ſenſuum percipitur le-

* MALPIGHIUS in ſuis operibus Anatomicis.
** WILLISIUS Pharm. R. p. 11. 8. 111. c. V.
*** LINDENIUS Cap. XVI. art. 13. §. 24.

vitas; si ex SANCTORII regula ad stateram pondus augetur; si post somnum deprehenditur augmentum. SANCTORII * Regulæ de perspiratione servari possunt; si adficimur; conservamur; augemur; & quoad viscera restituimur. Quoad fibras corpusque si nos movemus; si modica venus exercetur; si sudamus. Ii vero, qui sanguinis pauperie depravati vivunt, sentiunt horum, quæ jam supraque commemoravi, nullam utilitatem. Nam omnia viscera, quæ per vasa sanguinem premunt, perspirationem ea lege juvant, ut deinceps nulla ex parte in sanguinis natura deprehendatur vitium. Si vero, sanguis, pravus est, si genuinus sanguinis motus deficit non ob pulmonum torcular, ut putat MAUROCORDATUS ** læsus, si vasa non justa sanguinis copia replentur, quomodo rubedinem, qui ex sanguinis laborant inopia, poterunt præ se ferre?

§. XX.

Humano latice, multis in partibus carentes ex insigni laborant lassitudine. Socordia, torpor, desidia sanguinis ob defectum exorta consumunt vires; mali liquoris indoles, qua ægrotat sanguis, reddit spiritum & sanguinis motionem inertem. Hinc non agere vitam, sed trahere, videntur ejusdem generis

* SANCTORIUS Medicina Statica.

** MAUROCORDATUS in Tract. de pnevm. instrum. sanguin. circ.

generis coloris homines. Sive enim motu peccet ſanguis, ſive deficiat non rite ſe habentibus globulis; utroque ſpirituum motus redditur tardior adeoque inertes, ſomni pleni, imperiti, indocti, inculti, pigrique fiunt illi ſanguinis pauperie perciti, nonnullorum peregrinantiumque mores qui cochlearum tarditate alios vincere ſolent, ſcite imitari ſciunt. Hinc patet, quod juxta * HIPPOCRATEM anima cum ignis & aquæ temperamento conveniat. Sive enim ignis æſtuet, ſive abundet aqua in ſanguine utraque ratione læditur ſanguinis motus.

§. XXI.

Senſus pro mea opinione nihil aliud ſunt quam excitatæ per moti objecti adtacti in nervi ſuperficie mutationes. Objectum enim quodvis aut figura, mole, duritie motuque noſtros adficit ſenſus. Porro liberorum nervorum mutationes in ſingularem propagantur cerebroſæ medullæ plagam. Quæ mutationum generatio ſenſationum eſt principium. Quod quidem ita ſimplex parvumque eſt, ut vere, exceptis illis, quorundam ſimplicium Philoſophorum ſimplicibus, ſimplicius nihil poſſit indagari explicarique. Deinceps illud Principium eſt oriundorum a cerebro ſpirituum commodorum liberum. Spiritus ſi deficit, ſanguis minus valet. Ergo ſenſus in iisdem viget minus. Inde in corpore debili-

* HIPPOCRATES in libro de diæta Lib. VIII. P. 7.

tas, ubi sensus interni fortiter suo funguntur munere, intelligitur, & cur cœci sint oculi, mortua sit aurium cupido, nervearum in lingua papillarum sensatio insipida, tactus insensibilis, nasus nihil adcipiens.

§. XXII.

Temperamentorum ratio, quæ in omnibus variat individuis, insignitur hac, qui ex sanguinis egestate laborant, liquoris rubicundi penuria. Qui multa abundant bile, quam maxime sunt propter spirituum sic dictorum dissipationem ad hunc morbum proclives: Atra vero insigniti bile ob vasorum rigorem fluidorumque tenacitatem in hanc liquoris pauperiem sunt idonei, quibus sanguis vero est in mundus, eo facilius ad hujus purpurei laticis imbecillitatem deducuntur, quoniam ob nimiam luxuriam, venerem, & ob alia sanguinem depravandi media, sensim paulatimq; imminuitur sanguis, ut illi antea sanguine turgentes nunc in omnibus artubus notabilem ostendant imminuti sanguinis quantitatem atq; qualitatem. Quæ de temperamentis eum in finem non adduxi, quasi si tres has classes tantum in hac hominum multitudine statuere vellem. Absit id ut sic existimem, ut potius cum THOMASIO, quot sunt individua, tot etiam esse temperamenta, nullus dubitem. Interim cum RIDIGERO, * GALENI calidum

* RIDIGERUS in diæta erudit. p. 50.

lidum, frigidum, humidum ſiccumque ex ſanguine duplice bile & phlegmate ortum non prorſus rejiciendum, arbitror. Quæ tamen omni ex parte reprobat HELMONTIUS.* Modeſtius paulo eadem ridet fama celebris BERGERUS, ** qui THOMASII ſententiam amplexus temperamentorum differentiam ſexui, ætati, vitæ generi, victui, regionum incolatui, aëri, aquæ, locis, corporibus eorumque circumſtantiis adſcribere nullus veretur.

§. XXIII.

Peculiari vero conſpiciuntur colore. Pallidus ſcilicet, ex quo omnes illorum partes albent, color in primis a minima ſanguinis quantitate dependet. Quum enim pallidus ſanguinis color non tantum a cordis motu ſanguinem ex LOWERI *** ſententia continuo in cerebrum cerebellumque pro exſtillandis ſpiritibus transmittente, ſed a cerebro etiam ejusdemque opera & purpurei laticis copia ortum trahat ſuum; pallidus e contraria parte a ſanguinis defectu, cordis imbecilli motu, ſpirituumque e cerebro provenientium inertia initium capit ſuum. Ubi vero minor ſanguinis motus, ibi imbecillior deprehenditur calor. Hinc AVERRHOES

D 3 alba

* HELMONTIUS p. 34.

** BERGERUS in humana natura p. 109.

*** LOWERUS in tract. de corde p. 11. p. 99.

alba frigida, hoc est, minus commota apud LAURENTIUM * arbitratur.

§. XXIV.

Sitim definio per potus inexplebile desiderium. Excitatur vero rara bibendi libido aut a nimia fibrarum humiditate; aut ab humorum aquosa indole, aut a frigore. Quæ jam memorata omnino suum locum in iis, qui sanguinis sentiunt penuriam, non obscure deprehenduntur. Quodsi humor enim palmarius, puto sanguinem, nimio frigore, depravata dulcedine, pituitosa & aquosa indole polleat; tunc temporis sitis evanescit. Hinc nec contra CORNARI regulas ** peccant, nec concoctiones ex hoc capite adeo sæpe lædunt. Quarum errores & vitia salse perstringit in non paucis luxuriæ, communi medicorum nutrici, deditis GESNERUS *** æque ac MACROBIUS. **** Verum enim vero quum enim morbus omnis adpetitus & digestionis vocari jure meritoque possit orbator; intelligitur sane, cur sanguine non nihil orbati sitim sentiant imbecillem. Solidorum adpe-

* LAURENTIUS in anatomicis observ. p. 944.

** LUDOVICUS CORNARIUS de vita sobr. p. 100.

*** GESNERUS apud STUKKIM Antiq. Conviu. III. 2.

**** MACROBIUS in Saturnalibus VII. 4.

adpetentia, nempe fames, fluidorumque, five sitis, unice a causis corporeis, mere mechanicis, sentiente HOFFMANNO, * in nobis elicitur.

§. XXV.

Multa adpetunt hoc morbo adfecti, depravatumque aut ex inerte pituita, viscida, obruente, bilis defectu, salium extinctione, laxis fibris, putridis sordibus, aquosa sanguinis indole aliisque causis adpetitum abunde testantur. Ingluvies enim hos adlicitita, ut crapulam, quam acriter notat COLUMELLA, ** quam lepide deridet FLACCUS, *** quam juste damnat SENECA, **** aliaque ejusdem furfuris luxuriam testantia mirum in modum adpetant. Præter naturam, quæ in nostro fiunt corpore, negligunt humanæ machinæ regulas; negligunt naturalem functionum ordinem habitudinemque. Quem ad modum in omni morbo deficit adpetitus; sic interdum crescit cibis fruendi libido. Caloris enim sanguinis temperies, fermentalis liquoris in ventriculo & intestinorum natura turbatur morbo. Qua systematica perturbatione perit ventriculi actio. Hinc

* HOFFMANNUS in rationalis medicinæ systemate p. 179.
** COLUMELLA in præf. vitæ rusticæ L. I.
*** HORATIUS in II. Sermon.
**** SENECA in epist. XCV.

Hinc temere adpetunt, & ob ſolidorum fluidorumque tenuitatem celeriter quidem, ſed minus bene, digerunt.

§. XXVI.

Si carpis illorum manus medicas admovemus, debilem arteriarum pulſum deprehendimus. Excitat hunc imbellis vis contracti cordis & muſcularis quidem, quam ſic jure meritoque adpellitat LOWERUS. * Excitat huc ſatis tenuis nervoſi liquoris minus fortiter in vaſa influens facultas. Hinc minus movetur ſanguis. Excitat hunc notabilis ſanguinis inopia. Excitat hunc corrupti ſanguinis fluminis maſſa. Deficiente enim motu cruditatis parum e ſanguine eliminatur; cordis pulſus ita fit lentus, ut horum ſiniſtram ſanguinis valetudinem clare, non ut ſignum, ſed ut cauſa ex HELMONTII ** effato, oſtendat. Eleganter non pauca cedro digna de ſanguinis preſſione meditatus fuit ingenioſiſſimus de MOOR, *** qui ex imminuto humani laticis preſſu languorem debilemque pulſum oriri ſtatuit.

§. XXVII.

Quam vero urina declaret nobis ſanguinis indolem,

* LOWERUS in tract. de corde.
** HELMONTIUS p. 1. p. 114.
*** BARTHOLOMÆUS de MOOR p. 80.

dolem, obſervamus etiam in iis, quibus deeſt, ſanguis, notabile in urina diſcrimen. Spirituum inertiam, vaſorum attritum, humorum acredinem teſtatur ille, levandæ veſicæ gratia, ſecretus humor viſcidus, craſſus, nimisque flavus. Quæ omnia unice depravatæ ſanguinis maſſæ motuique adſcribimus, quæ urinam, cujus materiem adlegat triplicem, nempe ex cibo & potu colorem; ſecundo urinæ neceſſariam qualitatem; tertio humidi colliquationem HIPPOCRATES,* ſæpe impedit ita, quo minus citrina, limpida & flava eſſe poſſit.

§. XXVIII.

De perpetua novi chyli neceſſitate dubitabit nemo. Sanguine, cujus miniſterio ſuſtentatur mortalium vita, nullo carere poſſumus tempore. Si integræ eſt ſanguis indolis, nobis declaratur ſani chyli nota. In hujus lactis formam gerentis naturam paulisper inquiram & hac quidem mente, ut paucum pravumque ſanguinem e vitioſo corruptoque chylo oriri, demonſtrem. Cujus lacteſcentis e cibis laticis vitia debemus pravæ manducationi, quæ huic ſanguinis defectui varium in modum occaſiones præbere ſolet. Detrimenti non parum ferunt deficientes ad morſum dentes; deficientes ad abſolvendam manducationem muſculi; deficientes utriusque maxillæ, linguæ, oris motiones. Hinc ciborum maſticatio peccat ob ſalivam ab impuro arterioſo ſanguine ſecretam; ob vitioſi aeris admixtionem. Exinde provenit manca mali chyli

E pro-

* HIPPOCRATES. S. V. Libr. VI.

propulſio; debilis propter inteſtinalem anguſtiam a WALTHERO * obſervatam in duodenum bilis admixtio; mucoſæ viſcidæque lymphæ pancreaticæ effuſio; impedita ob viſciditatem in vaſa lactea propulſio; ſuperfunctoria chyli in glandulas meſeraicas remora conquaſſatio, dilatio, & forte tenuis ſpirituum e nervis admiſtio; chyli in lumbari ciſterna non ſatis defœcati maſſa; utriusque ductus chyliferi laxitas; non ſatis anfractuoſa utriusque tubuli ſtructura; infirma minus contractilium membranarum latera; ſubclaviæ rigiditas; chyli ſubclaviam ingredientis craſſa copia, ægra cum ſanguine miſcela, minor in corde eiusdemque auriculis ſanguinis præfectio, pulmonum labes & reliqua viſcera ſanguini devota, quæ hanc corporis infirmitatem e ſanguinis egeſtata propullulantem facile procreant.

§. XXIX.

Quemadmodum ad ingenioſi feliciſſimique medici LOWERI ** ſententiam cordis ventriculos ejusdemque vaſa nimis implendo ſuffocat ſanguinis abundantia: ita e contraria parte ſanguis ejactura, defectu, vaſorum inanitione ita laborans, ut cordis ventriculi irritentur tantum, nunquam compleantur, nobis mala multa minatur. Latex enim noſter humanus jejunio, mœrore, languore, adfectu ſyncopali, febre aliisque morbis ſanguinis vaſa in motu ſuo turbantibus mirum in modum depravatur.

§. XXX.

Reſpirationis mutatio ſæpe morborum iuxta HIP-

* WALTHERVS in differ. de vaſorum anguſtiis.

** LOWERUS in tract. de corde p. 124.

HIPPOCRATEM * fons atque origo deprehenditur. Non adtingam e nativa indole, varia thoracis formatione, pulmonum, diaphragmatis, abdominis, ætatis, ſexus, graviditatis, regionis, animi motum, corporis temperamenti, cæli, ſimilium que diverſitate exortam alterationem. Sed eam tantum conſidero quæ ob ſanguinis imminutionem difficilem parit reſpirationem. Difficilis pulmonum explicatio; incommoda ſanguinis transmiſſio; & ſanguinis ad abſolvendum in corpore iter cum impetu indoles non poſſunt non hujus generis ægrotantes in reſpiratione inſignem in modum lædere. Hinc conſiderata reſpirandi facultas laudem ſuam meretur, utpote quæ ex BOERHAVENII ** ſententia ſummi eſt momenti. Læſa enim cordis, pulmonum, cruoris, liquidi cerebelloſi, pleuræ, thoracis, diaphragmatis abdominisque indoles hujus miniſterio detegitur.

§. XXXI.

Præter hæc, quæ ſupra ſunt commemorata, imminuta ſanguinis quantitas facile poteſt intelligi, ſi nempe parantia chylum viſcera deficiunt; ſi e chylo boni parum obtinetur; ſi ſanguinis circulo ſacra vaſa languent; ſi communis ſanguinis ſedes labefactata deprehenditur; ſi ſanguinis parum pallor, languor mentisque imbecillitas produnt. Sed ſi quæritur an ſanguis nutriat nec ne? Reſpondeo adfirmando pariter atque limitando. Nutrit enim noua coccinearum bullularum adpoſitione partes, ſed non ſolum easdem alit ille ruber latex: multæ enim partes

E 2

* HIPPOCRATES S. III. p. 289.

** BOERHAVENIUS in inſtit. p. 921.

tes optime nutritæ, vt cerebrum, glandulæ, membranaque rutila ſanguinis parte non ſervantur: ergo rubicundus ſanguis muſculares rubras tantum, non alias nutrire videtur. Si vero modica nutriendi facultas adeſt, qua ratione vividi poſſunt eſſe homines, ſi vitali illo ſucco deſtituti tenentur vivere.

§. XXXII.

In primis harum ſanguinis particularum, quas potius lubentiusque tantum non cum RIDIGERO * bullulas, quam globulos, nominaverim. Figura, & forma varium in modum læſa deprehenditur. E globuli definitione id pateſcet. Globulus eſt quantitas rotunditatis ſoliditatisque capax. Bullula eſt quantitas rotunditatis & vacuitatis capax. Abs hoc, quod armatis adparet oculis rotundum, ad quamdam vacivitatem, quæ conpreſſionem quidem, ſed nunquam ad figuram variationem admittit, non ſtatim poſſe conligi, duxerim. Globos ex minoribus rubris conflatos pellucidos, ſeroque innatantes admittit BOERHAVENIVS. Verum in quantum illius ſententia valeat, noſtri ingenii non eſt id oſtendere. In præſenti tantum læſam ſanguinis figuram, tamquam cauſam adlegamus, ſi nonnulli ob hujus laticis pauperiem ægrotant, ſi pallent, ſi debiliorem arteriarum pulſum in carpis ſuis nobis exhibent.

§. XXXIII.

Quum ſit certiſſimum ſanguinis figura ſanguinem ad eliciendos morbos eſſe proclivem; facile eſt concipere, quantum non legitima ſanguinis partium co-

* RIDIGERUS in diæta eruditorum p. 569.

cohæſio ad retardandum motum valeat. Peringenioſus RIDIGERVS * hanc bullularum ſanguinearum cohæſionem adſcribit debili rubicundi humoris motui. Quem porro ſequitur minus felix particularum diviſio. Immo ſanguis non tam facile cohærens penetrat in ſubclaviam venam, licet duo inſignes ductus chyliferi duo ſcalæ cujusdam latera repræſentantes, quorum vſum ornat laudibus LOWERVS, ** nullum alium in finem, quam vt ſi fuerit alter obſtructus, per alterum aſcendat chylus, creati debent cenſeri.

§. XXXIV.

Quum quædam ingerimus, quædam adplicamus; quædam agimus; quædam retinemus, nutrimur modum ſervantes, & lædimus naturæ leges negligentes. Sine quarumdam rerum alibilium ingeſtione non diu ſervatur hominum ſanitas. Valetudinem noſtram a limine ſtatim debemus rite ſe habenti ſanguinis circulo. Laticis hujus in nobis ſuave rubentis mutationes ſubſunt pravæ quantitati, temperiei, fibroſitati. Quæ tria ſi in ſanguine ob defectum offendantur, inveniemus anaemiam noſtram. Ad averruncandam hujus humoris egeſtatem ingerendis, ſuaſore HANSCHIO, *** opus habemus. Laudabilem aerem, alibilem cibum, temperatum potum, aptum interdum medicamen per cutis, narium ſpiracula, per oris, pulmonis, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, ſequioris ſexus pudendorum meatus ingerimus. Quæ omnia aut in exceſſu, aut in defectu ingeſta hanc ſanguinis penuriam nobis parere poſſunt.

* RIDIGERUS in diæta erudit. p. 600.

** LOWERUS in tractatu de corde p. 218.

*** HANSCHIUS in corporis medicina c. 11. p. 116.

§. XXXV.

Agendo multum parumque nimis ſanguinis maſſa redditur adeſa. Liquor noſter pudicolor nobis incipit deeſſe, ſi nimium corpus mentemque labore & meditatione commovemus; ſi vtriusque quiete nimia fruimur; ſi ſomni vigiliæque leges negligimus. Spirituum enim facultas vehementer imminuitur. Ex qua ſanguinis lentor provenit. Inde ſuboritur canuſini noſtri iaticis defectus, quem anaemiam voco.

§. XXXVI.

Retinendo eadem, qua ſecundum rerum naturam ſecerni debebant, eademque, quæ retineri debebant ſecernendo ſanguinis circulum mirum in modum poſſe deprauari, nemo erit, quem id lateat. Vtroque enim modo miniacei humoris noſtri vigor decreſcit. Sanguinis decremento deficiunt in nervoſo ſyſtemate vires. Quibus fractis color & indoles ſanguinis in peiorem maſſam vertitur atque mutatur.

§. XXXVII.

Adplicationes ambientis aeris, inſani vaporis, temerarii fomenti, inhabilis veſtis, intempeſtivi linimenti, nimiæ frictionis, infruniti vnguenti, inepti emplaſtri, incommodi balnei ad noſtrum corpus adductæ & externæ eam ob rationem penuriam ſanguinis faciunt, quoniam vehementer non raro impeditur tranſpiratio, turbatur ſanguinis circulatio, chylopœorum viſcerum robur debilitatur, excretiones labefactantur.

§. XXXVIII.

Quum ex iisdem, quæ ſum ſupra perſecutus, non obſcure pateſcat, quod non paucæ anſæ huic ſanguinis penuriæ abs hominibus ſubminiſtrentur, multisque in

practi-

partibus diſpares, artis apollineæ nati huic rubei liquoris pauperiei auxilium adlaturi nonnullis huic nouo ſanguine notæque bonæ tollendæ infirmitati aptis medicaminibus vtantur. Hinc ſi ex quadam laboret imbecillitate, roborando ſtomacho apta ſuppeditent ægris medicamina; auerruncent diætæ errores per lenia laxantia; irritent pertemperata ex balſamo quodam nobili, gelatina, croco, ſuccino, caſtoreo conflata medicamenta ſanguinis circulum; corroborent ægros per analeptica temperata, volatilia, ſpirituoſa immo aromatica. Aegris hiſce ſanguine deficientibus medici ſuadeant boni ſucci cibos, ſpirituoſos potus, corporis animique temperatas agitationes, ut bonus chylus impetretur; vt legitimus obtineatur ſanguis; ut in ſuo ſervetur circulo. Si exſangues ſunt homines interdum, quidni medici ſanguinis copiam hiſce conciliant? Num medicamenta tonum corroborantia proſtant, quibus ad hanc tollendam infirmitatem medici vtentur? ſanguinem procurent medici exſanguibus: medicamina varia forma compoſita præſcribant; quæ tria alimenta ex mente HIPPOCRATIS nempe cibum, potum, ſpiritumque in lacteum ſuccum, ſanguinemque convertant. Quæ corporis ſanitatem, mentisque vigorem mirabili ſervent augeantque harmonia.

§. XXXIX.

Sic curent illi, quos deſiderant exſangues: ut ſanguini dicata viſcera reddant ſalva eademque per refocillantia tueantur medicamenta. Hæreant in iisdem commorentur curationibus. Sæpe ut in ægrorum horum naturam, indicationes, effectus inquirant. Sæpe vt quibusdam explorent medicamentis, quodnam viſcus in primis fuerit adfectum. Ut in nulla re ſanguificationem impediente ægris indulgeant. Ut aliorum medicorum vtantur con-

ſiliis;

filiis, quasnam secum foveant sententias. Ut cum adparuerint, cautissime vitae, victus, naturae rationem aegrotantium investigent. Ut temperatis vtantur medicamentis. Ut corroborantia, quae profuerunt, ad aegrorum taedium iterent. Ut ad interrogata firmis rationibus fidem medicamentis addant. Ut levissimos diaetae errores in medendo statim emendent. Ut per laxantia lenia & suavia vomitum cientia, quae nocere putent, removeant. Ut addubitent confiteri, quid potius & quomodo, quod inprimis in sequiori sexu est observandum, curaverint. Ut fideliter, prudenter, vere, quid caveant in cura & deinceps, demonstrent aegris. Ut interdum a regulis curationis declinent. Ut in medelis nec nimis experientiae, nec nimis sanae rationi fidant.

§. XL.

Arabes, qui masticationem ciborum negligebant, aliaque ad sanguinis bonitatem spectantia, in odio vatiniano has suas animas habuisse, dixerunt. Qua ratione? Quoniam, qui purpureum liquorem insuper habebant multos morbos adfectare videbantur. Quid ita? Quia necesse est, qui sanguinis vitiis dederint occasiones, variis implicari infirmitatibus. Quibus istis? Sanguinis abundantia, sanguinis malo habitu, sanguinis penuria. Quae postea accidunt. Multa alia nociva in hos aegros incidunt. Cur? Quia fluida si turbantur, mutantur etiam aliqua ex parte solida. Quid? Sexus vterque sic, deducitur ad ANAEMIAM.

In hac vacui fuga, humanissime lector! menda sic emenda. P. 4. l. 15. lege sesamo. p. 8. l. 15. l, p. 9. l. 15. l, p. 10. l. 17. p. 10. §. 6. l. 13. hepate p. 13. §. 9. l. 23. enervanti, Veneri. l. 24. exspissanti p. 14. §. 10. l. 19. aestum. p. 16. §. 13. l. 16. per emissum sanguinem excedunt p. 18. §. 14. l. 17. equitationis. p. 21. §. 16. l. 1. quas p. 24. §. 17. l. 10. nodis.